
Der folgende Text soll in angemessenes Deutsch übersetzt und durch die Bearbeitung der unter II. gestellten Aufgaben sprachlich erläutert werden.

I. Übersetzung

1 Magno et excellenti ingenio uiri cum se doctrinae penitus
2 dedidissent quicquid laboris poterat impendi contemptis
3 omnibus et priuatis et publicis actionibus ad inquirendae
4 ueritatis studium contulerunt, existimantes multo esse
5 praeclarius humanarum diuinarumque rerum inuestigare ac
6 scire rationem quam struendis opibus aut cumulandis honoribus
7 inhaerere: quibus rebus, quoniam fragiles terrenaesque sunt
8 et ad solius corporis pertinent cultum, nemo melior, nemo
9 iustior effici potest. erant illi quidem ueritatis cognitione
10 dignissimi, quoniam scire tanto opere cupiuerunt atque ita,
11 ut eam rebus omnibus anteponerent - nam et abiicisse quosdam
12 res familiares suas et renuntiasse uniuersis uoluptatibus
13 constat, ut solam nudamque uirtutem nudi expeditique sequerentur,
14 et tantum apud eos uirtutis nomen et auctoritas ualuit, ut in
15 ipsa esse summi boni praemium iudicarent -, sed neque adepti
16 sunt id quod uolebant et operam simul atque industriam perdi-
17 derunt, quia ueritas id est arcanum summi dei, qui fecit omnia,
18 ingenio ac propriis sensibus non potest comprehendi: alioquin
19 nihil inter deum hominemque distaret, si consilia et dispositio-
20 nes illius maiestatis aeternae cogitatio adsequeretur humana.
21 quod quia fieri non potuit ut homini per se ipsum ratio diuina
22 notesceret, non est passus hominem deus lumen sapientiae
23 requirentem diutius errare ac sine ullo laboris effectu uagari
24 per tenebras inextricabiles: aperuit oculos eius aliquando
25 et notionem ueritatis munus suum fecit, ut et humanam sapientiam
26 nullam esse monstraret et erranti ac uago uiam consequendae
27 immortalitatis ostenderet. uerum quoniam pauci utuntur hoc
28 caelesti beneficio ac munere, quod obuoluta in obscuro ueritas
29 latet eaque uel contemptui doctis est, quia idoneis adsertoribus
30 eget, uel odio indoctis ob insitam sibi austeritatem, quam
31 natura hominum procliuis in uitia pati non potest - nam quia
32 uirtutibus amaritudo permixta est, uitia uera uoluptate condita
33 sunt, illa offensi, hac deleniti feruntur in praeceptis et
34 bonorum specie falsi mala pro bonis amplectuntur -, succurrendum
35 esse his erroribus credidi, ut et docti ad ueram sapientiam

36 dirigantur et indocti ad ueram religionem.

Herbst 1981

- 2 -

II. Sprachliche Erläuterungen

1. Analysieren Sie die Satzstruktur des Textbeginnes (Z.1-Z.9)!
2. Erklären Sie die Bildung und die Bedeutung des Wortes **religio**!